



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1604

Vita S. VVinvvaloci Abbatis; Sanctitate & miraculis clarißimi: ex ea quam F. Laurent. Surius eruit ex M. S. Codicibus. Floruit temporibus S. Patritij, Hybernorum Archiepiscopi: qui claruit anno ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42667

VITA S. VVINVALOCI ABBATIS
 sanctitate & miraculis clarissimi: ex ea quam F.
 Laurent. Surius eruit ex M. S. Codicibus. Floruit
 temporibus S. Patritij, Hybernorum Archiepi-
 scopi: qui claruit anno Christi Domini
 431. & sequent. Teste C. Baro.
 5. & 6. Tom. Annal.

B. Vvinalocus, Patre quidem Fracano, præ-
 cipua in Britānia nobilitate (Cotonij quip-
 pè Britannici regis erat consobrino) Chri-
 stianaq; religione spectatissimo, Matre verò exi-
 mie pietatis matrona oriundus, tanto ab ipsis
 pueritiæ annis rerum supernarum cepit flagrare
 desiderio ac terrenarum contemptu, vt nullum
 non moueret lapidem, quò eum pij parentes cui-
 dam viro Dei liberalium artium ac sacræ paginæ
 studijs traderent imbuendum. Tandem voti com-
 pos effectus pius puer, tam felices breui tempo-
 re, vt erat præstantis ingenij ac memoriæ tenacis,
 sub spiritali patre pro carnali iam amplexo, in
 vtriusque fecit progressus; vt quiuis adolescentis
 mentem copiosis S. Spiritus benedictionibus præ-
 uentam illustratamque facillè aduerteret; quem
 & tum miraculorum gloria clarificauit. Vnius
 siquidem ex condiscipulis, communi direttore
 orandi gratia longius profecto, cum socijs ludi
 bundi ac per agros cursitantis crus fractum, ili-
 cò pia ad Deum fusa precatone ac salutifero
 Crucis signo, summo omnium gaudio & admira-
 tione, pristinæ sanitati restituit. Multæ porrò vt
 erat in pauperes ac miseros commiserationis, cū
 non suppeteret quo eorum posset leuare inopi-
 am, saltem animis aliquod adhibebat leuamen.
 Cæcum quendam ex languidorum turba seorsum

3. Martij.

Clarissimi
 natales eius

Felix profes-
 sus eius in
 literis.

Fræclara e-
 ius miracu-
 la.

Fractū crus
 sanat.

Erga paupe-
 res benigna

Cæcus visum recipit.
Actor. 3.

Item Soror eius oculū.

A serpente percussum curat ac serpentem occidit.

Opilionem absens inuocatū a lupis liberat.

Humilitas eius.

Mortuum suscitatur.

abductum Apostolicis verbis illuminauit. Sorori quoque germanæ vno oculorum miserando casu orbata, eundem integrum ex anseris domesticis, qui eum excusserat ac deglutierat, ventre ferro dissecto extractum restituit: anseremq; sanum ad gregem remisit.

Interea cum longè lateq; fama virtutum eius sese diffunderet; multi ad eum confluere ac in eius sese disciplinam tradere cepere. Quorum vnus, cum aliquandò arcana diuinarum scripturarum elucidata mysteria accuratius repereret, ac ruminaret, fortuitò (vt adsolet) somno correptus, à serpente mortifero ictu in pede appetitur. Intumescente interim corpore, morteq; subitanea iam imminente, summa celeritate accitus vir sanctus, aqua oleo à se sacro permixta in potum ægro data, integrè eum sanauit: serpentem verò squamis horridum, linguamq; vibrantē trifurcam S. Crucis signo peremit. Opilionem quandam, ouibus per campos dispersis, sæuissima exorta tempestate propemodum exanimè factum, lupisq; rapacibus vndiq; circumdatum, cum in monasterio degeret S. Vvinualocus, ab eodem piè inuocatus, mirabiliter ex hiæcibus eorum faucibus eruit. Quod quidem tam præclarum miraculum vanam totus abhorrens gloriam, eidem, alicui publicare, præcise prohibuit. Iuuenè quoque nobilissimum, Fracani parentis eius equo in famoso quodam equestri certamine rapacissimo cursu volanti insidentem, ac (cum impetum diutius ferre non valeret) validissima inter aspera saxa excussione interemptum, sola oratione viuificatum, parentibus integrum ac robustum confoelabundus reddidit.

Cæterum cum S. Patritij, qui hisce temporibus in

in Hybernia florebat excellentissimarum virtutum opinio ad beati VVinwaloci aures peruenisset, auidissimeque aspectu & colloquio eius perfrui exoptaret, apparuit ei idem beatus Antistes, vultu angelico ac capite aureo diademate coronato: eumque post desideratissimos vtrinque collatos sermones est adhortatus, vt non se, sed Christum Dominum suis vbiq; presentem inquireret, cumque sibi vitæ præceptorem deligeret: copiosi quoque quandoque dominici gregis pastorem ac directorem eum fore prædixit. Hanc autem visionem cum vir Dei monasterij præfecto exposuisset, susceptis ab eodem cum solita benedictione 11. discipulis exercitatis, adque ardua quæque promptissimis, sola prouidentia diuina nisi incertum ingressus iter, tandem ad ignotam quandam insulam appulit: atque in ea triennio cum socijs eremiticam ducens vitam perdurauit. Eam demum ob frequentes admodum tempestates, nimiamque sterilitatem habitationi hominum planè incommodam desepere coactus, inuocato sacratissimo Christi nomine, mare magnum ac spatiosum (ò rem stupendam ac maris rubri prisco miraculo comparandam) virga pastorali percutiens ac aquas diuidens, cum discipulis confertis, vt iusserat, manibus, siccis pedibus pertransijt; atque ad certum locum cælitus demonstratum, grata sanè amœnitate ac fructuum vbertate admodum conspicuum perueniens, cum idem aquarum penuria laboraret, præfata virga, terræ puluerem designans, diuina virtute lympidissimum produxit fontem: pietatisque excitauit domicilium, non tam opere visendum quam optimis disciplinis clarum.

De S. Patritio consule 5. & 6. Tom. Annal. C. Baronij. Apparet ei S. Patritius gloriosus.

Peregrinatio eius.

Exodi 14. Mare cum suis siccis pedibus transit.

Fontem diuinitas producit.

Spiritale e-
ius bellum.

Vacabat ibidem venerabilis Pater diu noctu-
que precibus, ieiunijs, alijsque exercitijs spiritua-
libus; eratque ei assidua colluctatio non tam ad-
uersus carnem & sanguinem, quam aduersus
principes tenebrarum, qui in varias horrendas
sefe transformantes formas, deuotionis eius tran-
quillitatem interturbare nitebantur strenue,
Quos ille quidem scuto fidei galeaque salutis
benè munitus, S. Crucis triumphalem hastam cū
diuinæ scripturæ telis penetrabilibus in eos vi-
brans, facilè fudit ac penitus prostravit. Quæ ve-
rò orationis vis cæterarum eius virtutum ac mi-
raculorum imbres complecti, digneque percurs-
rere possit? Omnibus siquidem numeris absolu-
tus omnia tam corporalium quam spiritualium
defectuum ac morborum genera nullo penè ne-
gotio curabat. Cæci, claudi, surdi, leprosi paraly-
tici, incolumes se ab illo redire lætabantur. Cu-
iusdam sui discipuli matrem defunctam, cū iam
ad tormentorum loca à dæmonibus perduceretur,
liberauit atque ad vitam reuocauit.

Varia eius a-
lia miracu-
la.
Defunctam
viuificat.

Catalogus
virtutum e-
ius.

Vitus & a-
mictus par-
monia.

Erat pater hic venerabilis, ad spectu angelicus,
sermone compositus, in Dei opere strenuus & in-
defessus, mente & corpore integer, ingenio per-
spicax, consilio magnus, in Dei proximi que cha-
ritate perfectus. Vestis ei non lanea aut linea, sed
ex caprinis erat pellibus. Lectus ei non ex plumis
aut pannis mollibus, seu etiam ex paleis, sed ex
durissimis arborum corticibus sternebatur. Se-
des eius mollis erat arena lapillis permixta. Pa-
nis, quem quotidie eodem sumebat pondere, hor-
deaceus erat, cineribus permixtus. Pulmentum
ei fiebat ex farinula hordeacea & modico olerè.
Sabbatis & Dominicis diebus pisce & caseo ve-
scebatur. Quadragesimæ dieb⁹, bis in hebdomada
sume-

sumebat cibum. Vinum & potionem omnem, que ebrietatem adferre posset, haud aliter atque venenum repudiabat. Sed hæc pauca è plurib. commemorasse sufficiat.

Porro cum iam plenus dierum nocte concubia ab angelo obitus sui diem insequentem fore didicisset, ac manè ad se accitis fratribus exitum suum eorum precibus ac eos Deo commendasset, cunctaq; suauiter disposuisset; ad horam tertiam incruentum obtulit sacrificium; sumptoq; cælesti viatico, ita vt sacræ assistebat aræ, animam in manus creatoris efflavit. Corpus fuit multis cum discipulorum lachrymis honorificè ibidem tumulatum; multò verò post tempore occasione persecutionis Nortmannicæ translatum est Gaudium in Flandria ad S. Petri monasterium in monte Blandinio situm; cuius Translationis commemoratio fit Kalend. Augusti.

ILLUSTRE MARTYRIUM S. HADRIANI, & aliorum 23. ex eo quod habetur optima fide apud Surium 8. Septemb. Passi verò sunt, sub Galer. Maximiano in oriente regnante anno Christi Domini 311. Eusebii Papæ 3. Constantini Imp. 6.

IN diebus illis tyrannus Maximianus eivitate Nicomediam ingressus, omnibus illius incolis severo edicto præcepit, vt quoscunq; noscent Christianæ religionis studio deditos, eos proderent, quò conceptum animi sui in Christianos furorem explere posset. Tanta namq; tyrannide in veræ pietatis cultores sæuebat, vt partim suppliciorum metu, partim magnificis admodum præmijs propositis, alios ad aliorum prodicionem cogeret. Miserandum sanè erat hoc spectacu-

Ab Angelo prænunciatur obitus eius.

Ad altare reddit Domino spiritum.

Vide Io. Molan. in Indiculo SS. Belgij. Perbuit potissimum anno Domini 380. teste eodem in Chronico cap. 11.

Vide Cæf. Baron. Anna. To. 3. & not. Martyr Rom. hoc die.

4. Martij. Hic est dies natalis eius. 8. enim Septemb. eius translatio celebratur.